

# Epistole ad ecclesiam triumphantem

[Page 264]

*Incipit prephatio operis que fuit causa monens fratrem Predicatorem ad scribendum epistolam de prosperitate Sarracenorum in temporalibus et deiectione christianorum. Alph.*

Et factum est cum essem in Baldacto *in medio captivorum iuxta fluvium Chobar* (*Ezech. I, 1*) Tigris, et me ex una parte delectaret amenitas viridarij, in quo eram, quod erat quasi paradisus pre copia arborum et fertilitate atque varietate fructuum, qui ortus erat aquis paradisi irriguus, quem domus eciam aurate circumquaque erigebant, et ex alia parte me urgeret ad tristiciam strages et capture populi christiani atque deiectione post flebilem captionem Accon, cum viderem Sarracenos letissimos atque florentes, christianos vero squalidos atque mente consternatos, cum puelle eorum et parvuli et senes cum rumoribus ad partes remotissimas orientis inter barbaras nationes captivi et sclavi minabuntur gementes, subito pre maxima tristicia in insolida admirationem raptus cepi stupens cogitare intencius solito iudicia Dei super gubernatione mundi et maxime super Sarracenos et christianos, scilicet ex qua causa posset contingere tanta strages et deiectione populi christiani et tanta prosperitas temporalis in gente perfida Sarracenorum. Unde cum nec admirari possem nec solucionem investigare valerem, cogitavi super hoc scribere Deo et celesti curie, ubi et causam mee admirationis expressi, desiderium aperui simul et pecii, ut Deus me in veritate et sinceritate fidei confirmaret et christianos maxime captivos de manibus inimicorum eriperet. Unde afflictus scripsi per modum orationis amaritati animi subiectas epistolam.

I.

*Epistola admirantis anime ad Deum verum et vivum qui gubernat mundum et de blasfemiis Alcorani.*

Egi seculorum seculorum immortali invisibili soli Deo honor et gloria in secula seculorum, amen. Mirabilis tu Domine, et mirabilia opera [Page 265]

*et superadmirabilia iudicia tua* (*Rom., XI, 3*). Nec mirum, si mirabilia facis, primo multum esset mirabile, si mirabilia non faceres. Imo postquam tu es ita mirabilis, nescio, quod esset mirabilius, an quod facis mirabilius an si non mirabilia faceres ipse mirabilis. Nos autem a tuo sancto propheta David accepimus, quia *tu es Deus qui facis mirabilia* (*Psalm., LXXVII, 15*). Si igitur de terreno pulvere aliquantulum elevatur intellectus meus et te contemplari nititur, admiratur. Si tua opera conspicit, admiratur. Si tua iudicia cogitat, admiratur et obstupescit. Quis michi tribuat ut cognoscam et inveniam te et veniam usque ad solium tuum; ponam coram te iudicium et os meum replebo increpationibus, ut faciam, quid michi respondeas et intelligam quid loqueris michi. Sed modo pressus tribulacionibus non possum proprius accedere dulcedini contemplacionis, ut tecum in dulcedine tua loquar inductus sacco, aspersus cinere caput. Non enim licet indutum sacco mortalitatis aulam eterni regis intrare. Et ideo ut alter Mardocheus in platea medie civitatis vociferabor (*Esth., IV, 1*) de longe clamans et eiulans et hoc eiulatu usque ad fores palati gradiens (*Esth., IV, 2*), si forte puelle Hester et eunuchi illi, qui castraverunt semetipsos, annuncient regine Hesteri (*Esth., IV, 4*), Virgini Marie, et per eam causa mei fletus et querele ingrediarunt ad regem (*Esth., IV, 5*). Plorans ergo et eiulans in comploracione dicam tibi. O Deus meus, iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum! Quod quidem facere nequeo, nisi tu dederis. Scio enim, Domine, quia *omnia iudicia tua iusta sunt* (*Apoc., CVI, 7; XIX, 2*). Que iudicia, quia nullus plene comprehendit, nemo iuste reprehendit. Et nunc quidem, Domine, tu omnia nosti, tu scis quia non animo reprehendendi te, que loquor, exprimo, sed ex mea impaciencia occasionem sumo loquendi tecum, ut et me inservias, qui michi magis es intimus

quam ego michi. Nec tempto, Domine, penetrare altitudinem tuam,  
quia nullatenus comparo ei intellectum meum. Set desidero aliquantulum  
intelligere misericordiam et veritatem tuann quam credit et  
amat cor meum. *Neque enim quero intelligere, ut credam, sed credo*  
*ut intelligam. Nam et hoc credo quia nisi credendo non intelligam* (Anselm.  
Cantuari. Prol. c. 1). Cum sciam igitur, quia facis mirabilia, videtur  
michi quod immutasti signa et innovasti mirabilia. Olim enim cum a  
sancto propheta (*Psalm. LXXVII, 15*) accepimus *quia tu es Deus, qui*  
*facis mirabilia; legimus quia notam fecisti in populis virtutem tuam.*  
Sed quomodo nunc facis in populis virtutem tuam, cum ex hijs,  
que in tuo populo christiano nostris temporibus contigerunt, maxime  
in Antiochia, Tripoli et Accon, modo dicunt publice in populis  
orientalibus, quod tu es impotens adiuware nos. Nam sive sint,  
qui dicantur dij sive domini, nobis alias Deus non est nisi Dominus  
Iesus Christus. Et ut ipsi ut tu melius nosti dicunt, quod[Page 266]

Dominus Iesus Christus est solus homo et non Deus, dicunt etiam,  
quod dominus Iesus Christus nos adiuware non potest contra Machometum.  
Dicunt eciam, et sibi literas insultacionis ad invicem mittunt,  
quod et istis temporibus fortuna Machometi fortunam Christi totaliter  
superavit. Nunc enim manifeste dicunt in populis: ubi est Deus,  
est Deus christianorum? Et iam non solum Sarraceni nobis insultant,  
sed eciam Judei et Tartari et dicunt: christiani credebant quod Iesus  
Marie posset eos iuvare et quod esset Deus. Sed dicunt nunc: «*Ubi*  
*est Deus noster?*» Non audis, Domine, in quantis et in qualibus accusant,  
quantis et qualibet tibi detrahunt et tue sanctissime matri?  
Quare non facis notam in populis virtutem tuam? Olym audivimus  
quam cito audisti vocem insultacionis illius Senacherib, cum dixit:  
*Ubi est Deus Emath? ubi est Deus Seffarnan?* (Isai.XXXVI, 19) quod  
misisti angelum tuum, qui una nocte occidi ex eis centum octuagintaquinque  
millia. *Quare nunc dormis, Domine* (*Psalm., XLIV, 24*)? *Non ad*  
*te pertinet quia perimus?* (Marc., IV, 38). Hoc dicit Marcus evangelista  
non solum, quia dormiebat sed *quia dormiebat super cervical* (Marc., IV,  
38). O cervical, super quod dormit ille vigil et sanctus, quia te non  
possum aliquantulum concutere, ut vigilem excitarem! Verum dixit  
propheta tuus, *quia notam fecisti in populis virtutem tuam* (*Psalm., LXXVII,*  
*15*). Sed mihi non sufficit, quia fecisti, sed notam fac! Exurge, Domine,  
salva nos, fac et ne repellas in finem! *Quare faciem tuam*  
*avertis et oblivisceris inopie nostre et tribulacionis nostre?* (Thren., V, 20;  
cf. Isai., LXIV, 7). Exurge, Domine, adiuva nos, et si non propter nos,  
quod peccatores sumus, sed *propter nomen tuum libera nos* (*Psalm., LIV,*  
*3*)! Tu in nobis es, Domine, et *nomen sanctum tuum invocatum est*  
*super nos* (les.XIV, 9). Nam a te Christo dicimur christiani et a te  
Iesu salvatore nominamur salvati. Ipsi autem Sarraceni credunt salvari  
per suum tyrannum dampnatum Machometum, quem de latrocino  
et tyrannide transtulerunt prophetam, et talem sequentes non  
Sarracenos appellant sed messalammos, quod interpretatur salvari.  
Et nos igitur damnatos reputant et nos persequuntur, quia te  
sequimur, et nos occidunt inimicitie gratia et se salvatos reputant,  
quia latronem et homicidam sequuntur. Et tu, Domine, irreprehensibilis  
sapientia et ammirabilis iudicio dedisti cornu peccatori homini  
scelesto et sceleratissimo Machometo dedisti regnum terrenum,  
ymmo regna orbis terrarum sibi et populo suo! Nam ab  
India usque ad occidentales partes pacifice et absque ulla contradictione  
possident regna utique electissima et fertilissima et plena terrenis  
deliciis. Ad literam enim in eorum orientali regno, quod ex  
magna Circini parte probavi et nives esse singulares delicias, et[Page 267]

montes salis, fontes olei, manna celi, flumina paradisi, species aromaticas,  
lapides preciosos, vites balsami et suavissimos fructus, quos  
melius intelligunt, qui experimento probarunt. Eis est fertilitas et  
abundancia frugum et fructuum cum continua serenitate aeris. Hæc  
omnia dedisti eis tu, qui perpetua mundum ratione gubernas. Et iam  
videtur infirmis in fide et impudentibus sufferencia, quod iustificaveris  
et vivificaveris mendacem Machometum in suis promissionibus, qui  
hec terrena promittit suis sequacibus se daturum. Et iam eciam impaciencia  
videtur aliquibus quod tu, Deus, sis factus executor alchorani.  
Nam plura eis concedis, quam ipse mendacissimus in suo alchorano  
promittit, quod alchoranum appellat testamentum Dei et verbum Dei,  
in quo quidem alchorano, quantum ipse mendacissimus te blasphemat  
tu melius nosti. Et ut de ceteris sileam, hec duo tibi non taceo,  
quia tuam sanctissimam trinitatem et misterium incarnationis totaliter  
evacuare conatur. Tollit enim a patre filium et a filio patrem  
et ab utroque Spiritum sanctum. Nam te presente legi arabyce in  
predicto alchorano quod non uno loco sed pluribus locis ponit et repetit

pro efficacissimo argumento dicens: *Impossible est Deum habere filium, quia non habet uxorem.* (Sourate VI, 101; cf. LXXII, 3). Qui vero filium negat nec patrem habet. Si vero nec pater nec filius, cuius erit Spiritus Sanctus? In alio vero loco in alchorano scriptum legi, *quod omnes peccatores obtinebunt a Deo veniam, dummodo non dixerint quod Deus habet filium;* dicit enim in pluribus locis, sicut ibi legi, quod *Deus orat pro Machometo.* Et tu tali bestie dedisti cornua (*Apocal.*, XIII, 1; cf Dan., VIII, 4), ut *ventilaret orbem*, ut occideret fratres tuos et cogeret eos tormentis negare fidem! O Domine, quot altaria tua et ecclesias destruxerunt et eciam pro maiori contemptu christianos occiderunt viros perfectos et predicatores fidei, predicatores inquam fratres et minores! Quot vicibus diviserunt sibi tyranni eorum sanctimoniales tuas tibi consecratas et dicatas virgines sponsas tibi fideles! Quis unquam rex, si se potuit adiuvare, sustinuit pacienter, quod rex alius usurparet desponsatam sibi uxorem! Et tu tali bestie dedisti tantam potentiam contra christianos fere septingentis annis. Vere credo, quod instant dies illi pessimi, de quibus tu ipsa veritatis prophetasti, sed promisisti, quod dies illi pessimi breviarentur (Marc., XIII, 19-20). Quare igitur tam longo tempore tam crudelissima bestia grassatur et dominatur in christianos? *Quare non surrexit fortior illo,* [Page 268]

*qui eum decimaret et arma eius auferret et spolia eius distribueret* (Luc., XI, 22)? Et ego sicut presumptuosus intra memet ipsum longo tempore cogitavi, quod possem illum in tua virtute deicere et eius doctrinam pestiferam evacuare. Quamobrem assumpta voluntate commissa michi a tuo vicario obediencia veni ad profundas partes istas orientis. Et dum predicando circumivit debilis iste frater predictor, predicavit te Christum, incidit in hostes fidei, qui minis et verberibus volebant me cogere predicare Machometum et eius perfidam legem. Quod quia te adiuvante renui post verbera, que leviter portavit amor, privaverunt me sancto habitu ordinis mei, et ego sic expoliatus et confusus assumpsi habitum camellarij et cepi camelum ducere per catenam et sic ego, qui tanto tempore fueram frater predictor negligens subito factus sum camellarius sollicitus et tunc lacrimando pre gaudio dixi: «O Domine, audivi Machometum fuisse camellarium. Numquam forte decrevisti, quod ego in habitu camellarij deiciam camellarium? Nam ego non recuso sub quocumque habitu militare tibi». Sed dum ad me ipsum introrsus redeo, dum cotidie per experientiam invenio me non posse complere que cogitaveram culpans memet ipsum dixi: «Ne forte contingat, quia non veni pauper in illa perfectione apostolica, sicut apostolis tuis sanctis mandasti (Luc., X, 4)». Et ecce subito occurrit animo magnus ille et ferventissimus predictor et predicatorum ordinis inventor, quem in fine temporis ab occidentali parte mundi doctrinis et miraculis suscitat, beatus Dominicus, quam ferventi proposito invasit Machometum a parte occidentali, pro quo eciam aliquanto tempore barbam nutrit et nec ferocissimam bestiam evacuavit; quin pocius e contrario bestia Machometus fratres predicatores missos ad predicandum occidit in Morrocho et aliis locis. Occurrit eciam animo pauper ille perfectus et vere paupertatis amator Franciscus, vir catholicus et totus apostolicus, quam ferventi animo invasit bestiam Machometum versus partes orientales, dum peciit eciam a successore Machometi soldano Babilonie poni cum Sarracenis vel solus in igne ardent, ut evacuaret, nee tamen bestiam evacuavit. Magnus ille sanctus pater, predictor magister Jordanus, sanctus et famosus in mundo miraculis et doctrinis, mare transiit ut predicaret Sarracenis, nec bestiam superavit. Quid igitur poterit homuncio, quod gigantes perficere nequivierunt? Deus videtur corroborator cius. Taceo de nostris principibus secularibus, ut de Ludovico illo, sancto rege Francie, et alijs regibus et baronibus sanctis, qui multis vicibus mare transierunt, assumpto crucis [Page 269]

caractere, et quasi labores infinitos et pericula mortis subierunt, ut bestiam superarent, et ipsi e contrario mortui sunt in mari et in terra et submersi et suffocati in parvis fluminibus, facti sunt aliis christianis in exemplum timoris et infirmitatis fidei. Et usque modo ferocissima bestia non cessat devorare sanctos tuos occidendo, torquendo compendibus et carceribus artando, ut fidem tuam negarent, et cogat eos dicere, quod Deus non habet filium, cum nobis non sit hereditas nisi per filium. Usquequo sustinebis, Domine? Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum, vindica sanguinem, sanctorum tuorum, qui effusus est! Ecce tota Terra Sacta, quam tu sanctissimus corporaliter visitasti et precioso tuo sanguine consecrasti, gemit absque habitatoribus christianis et ubi publice consuevit predicari Christus, modo magnis vocibus die ac nocte preconisatur Machometus. Mare Tripolitanum et Acconense, sicut audivi,

de cruento occisorum rubuit, et quos gladius aut sagitta Sarracenorum  
non pertulit, mare absorbuit. Ecce, Domine, signa immutasti et innovasti  
mirabilia. Olym enim legimus, quod in mari rubro necuisti  
Pharaonem et populum Egyptiorum et liberasti Iudeos, nunc vero  
submersus est patriarcha christianorum cum multis christianis et liberasti  
Egyptios; *ubique facti sumus obprobrium vicinis nostris* (*Psalm.,XLIV, 14; LXXIX, 4.*) Et credo, Domine, quod hec omnia pro nostris iniquitatibus  
patimur. Sed multum admiror, quia olym toti civitati Zodomice  
propter decem iustos parcere voluisti (*Genes., XVIII, 32*). Set  
numquid in tota ciuitate Tripolitana vel Acconensi non sunt inventi  
numero decem iusti in tanta multitudine christianorum et religiosorum?  
Et non solum propter decem, verum etiam propter unum  
voluisti aliquando parcere Iudeis; dicebas enim (*Jerem., V, 1*): «*Circuite  
vias Iherusalem et aspicite et considerate et querite in plateis eius, an, inveniatis  
virum facientem iudicium et querentem fidem, et propicius ero eis*».  
Ego autem non modo unum vel decem, sed plures et plures audio  
remansisse in civitate Accon fratres predicatorum, qui poterant exire  
et fugere et preelegerunt cum populo Dei mori, ut essent alii ad  
fidei firmamentum, et occisi sunt. An ergo fidem non querit, qui  
pro fide moritur? An audeo dicere, quod sis nobis mutatus in crudelem,  
quia nunc perdidisti multos iustos cum aliquibus impijs, qui consuevisti  
parcere multis impijs pro aliquibus iustis? Olym enim parvulum  
vagientem Moysem in fiscella scirpea liberasti de aquis, ut alios  
liberaret, et nunc patriarcham, patrem pauperum, virum sobrium, pudicum  
et sanctum, fratrem Nicolaum, fratrem predicatorem, virum  
dulcissime conversationis, amarissima unda tua permissione rapuit de  
ligno armato, insanum mare absorbuit hominem sapientem, quia volebat[Page 270]

populum multum liberare. Imo ut a pluribus voce insultacionis  
michi dicitur, quod usque nunc credere non potui, quod ipse solus  
de tota illa navi submergitur quia volebat alios liberare. Heccene  
reddis, Domine, populo tuo, heccene reddis servo tuo et ministro spirituali,  
qui tanto fervore desiderabat te laudare, benedicere et predicare  
in Iherusalem civitate sancta, quod quando hoc dulciter mecum conferebat,  
nec poterat lacrimas continere? Et nunc vere credo, quia dedisti  
ei Iherusalem civitatem supernam, et ad te Deum suum introivit  
gloriosus cum multo populo et cetero religiosorum et fratrum cum  
quanto, ut credo, nullus nostris temporibus introivit. Sed tibi omnipotenti  
modus alias ab isto non deerat, quo illum introduceres  
cum omnibus suis et non per Machometistas, qui dicunt, quod tu,  
Iesus filius Marie et Nazareth Galilee homo solum et non Deus,  
quamvis propheta magnus sis, tamen Machometus apud Deum te  
maior, contra ipsum Machometum nos adiuicare non potes. Nobis autem  
e contrario dicentibus, quia potes, sophisticae concludunt: peyor  
est, qui potest et suos adiuicare non vult. Sed ecce dum argumenta  
sophistica non attendo, michi ostensive offertur, ymo probatur, quod  
ex hijs que contigerunt, maxima multitudo christianorum negaverunt  
Christum et facti sunt Sarraceni. *Infelix ego homo, quis me liberabit  
de corpore mortis huius* (*Rom.,VII, 24*)! Ego firmiter expectabam,  
quod e contrario more solito eveniret. Cum enim pagani multos occidebant  
ex christianis, multi ex paganis efficiebantur christiani, nunc,  
proch dolor, e converso hec mutatio dextere excelsi in levam et sinistram  
nobis, quia Sarraceni multos christianos occiderunt, et multi  
ex christianis, qui remanent, legem, ymmo perfidiam, Machometi suscipiunt.  
Hoc est enim quod super omnia me affligit, et nunc nullum  
est michi refrigerium aliud, nisi tu Deus. Et relictus sum solus in  
Baldacto a sociis in profundis partibus orientis, et de occidente a pluribus  
annis aliqua nova non habeo de fratribus meis sive de ordine.  
Magistro etiam qui me misit, nescio quid accidit, quia de multis et  
lacrimosis litteris quas ei pro succursu transmisi, nec cedulam aliquam  
responsionis accepi. *Ego autem propter te mortificor tota die, estimatus  
sum sicut ovis occisionis* (*Psalm., LXIV, 23*). *Extraneus factus sum  
fratribus meis et peregrinus filiis matris mee* (Cf. *Iob., XIX, 13*). Pro te,  
Domine, dimisi mundum et veni ad ordinem, ut ita dicam, et veni  
te nunciare Sarracenis et Tartaris et veni *in altitudinem maris*  
*et tempestas concussit me* (Cf. *Jon., II, 4*). Non me demergat tempestas aque!  
Scio enim, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, licet modo  
non ita clare videam. Quare te deprecor, o Deus, qui me creasti et[Page 271]

redemisti, ut me in tua sancta fide confirmes et populum christianum  
cito eripias de manibus impiorum! Sit nomen tuum benedictum  
a seculo usque in seculum, quia *sapientia et fortitudo tua sunt et tu*  
*mutas tempora et etates et transfers regna atque constituis* (*Dan. II, 20-21*),  
si tibi placet ut regnet Machometus, indica nobis ut veneremur, et  
*Benedictio et claritas et sapientia et graciarum actio, honor, virtus et*

*fortitudo Deo nostro in secula seculorum, amen! (Apocal. VII,12). Data  
in oriente.*

II.

*Et quod non cito, ut desiderabam, michi respondit divina clementia, addidit anima mea  
afflita scribere Regine celesti subiectam epistolam.*

*Epistola ad beatam reginam Mariam.*

[B]eatissime virgini Marie, matri Dei, regine celi et advocate mundi,  
gaudium et leticiam, qua caret et annunciat anima fratris predicatoris  
in partibus orientis affliti. Iam pridem literas divine sapientie de mea  
tristicia et admiracione transmisi, nec usque modo responcionem  
aliquam, que me instrueret, aut consolareetur, recepi. Et nunc, beatissima  
regina, eiusdem tristicie et admirationis mee causam per alia  
verba et raciones presenti litera tibi lacrimabiliter declarare curavi,  
ut michi misero tua misericordia cito succurrat. Tibi autem tanto  
confidencius et securius loquar, quanto miser et peccator non ignoro  
te reginam misericordie et pro peccatoribus advocatam esse a summo  
iudice in celesti curia constitutam. Et prius michi occurrit, quod  
cum ex multis iam precedentibus annis cogitavi vias meas et converti  
pedes meos in testimonia» filii tui, obstitit inimicus humani  
generis, ut me retrahere obiciens multa et gravissima pericula in  
tali peregrinacione, que importabilia essent fragilitati mee, et dum  
quasi fractus aliquantulum retardarem multis et multis vicibus, audivi  
vocem in corde meo dicentem michi: «*Jacta cogitatum tuum in Domino,*  
*et ipse te enutriet* (1 Petr., V, 7)» et deinceps sis certus, quod nichil  
erit arduum, et nullum incurres periculum, in quo si reginam misericordie  
invocaveris, quod suum patrocinium quantocuis consequeris.  
Ego vero statim in te et de te plene confusus, mutato nomine regine  
misericordie ex quadam fiducia et familiaritate dixi: «ergo si  
ipsa michi erit massaria et procuratrix, secure ibo»; massariam  
enim vulgariter dicunt in civitate mea, ut nosti, mulierem, que fideliter  
et sollicite procurat necessaria domus. Et usque nunc ita experimento  
probavi quod in omnibus periculis et maximis necessitatibus meis  
statim, quando dixi «ubi est nunc massaria domus?» de te intelligens,[Page 272]

continuo patrocinium tue sancte procuracionis recepi. Et ecce nunc  
afflictus et derelictus solus in terra longinqua, debilis in corpore, tristis  
in corde et quasi totaliter consternatus in mente, ad te clamo exsul  
non solum filius Eve, set filius multorum; ve, ve michi misero, ve  
michi, quia eo tempore veni de partibus occidentis ad orientalem  
plagam, ut predicarem Christum et baptizarem et gremio sancte  
matris ecclesie aggregarem, quo audio et video aggregatos dispergari  
et dispergi. Et iam non solum de gremio, set de corde sancte matris  
ecclesie rapiuntur et occiduntur et venales transmittuntur christiani  
usque Baldactum et usque ad orientales remotissimas regiones pre  
multitudine captivorum. Et circumspiciens diligenter et querens, si  
forte aliquos ex fratribus meis Predicatoribus invenirem inter captivos  
et, ecce michi nunciantur omnes occisi; senes et parvuli christiani  
venduntur extraneis. Calices et palle et alia ornamenta altarium spiritualibus  
ministeriis consecrata, de mensa Christi et de ministerio  
corporis et sanguinis Domini transeunt ad mensas Sarracenorum, libri  
prophetarum et evangeliorum canibus exponuntur, et quod omnibus  
aliis miserabilius est, sanctimoniales et virgines, tuo sanctissimo filio  
desponsate pulchiores eliguntur ex eis et ensenia mittuntur Sarracenorum  
regibus et eorum tyrannis, ut ex eis generent filios Sarracenorum.  
Alio vero venduntur et distrahitur et dantur histrionibus, ut  
circumducant eas per mundum ad ignominiam christianorum et tui  
sanctissimi filii Iesus Christi. O Domina, nos accepimus, quod filius  
tuus candor est lucis eterne et speculum sine macula, cui non placet,  
nisi quod purum. Sed numquid ei magis placet, quod sanctimoniales  
et virgines cogantur esse histrionisse et discurrent per mundum,  
quam in monasterio Deo decantent et spiritualibus ministerijs occupentur?  
Numquid ei magis placet, quod sanctimoniales et sibi virgines  
consecrate sint sclave et concubine Sarracenorum et Sarracenos filios  
generent Sarracenis, quam conceptum votum virginitatis conservent  
et ex ipso sanctissimo filio tuo ferore Spiritus Sancti concipient  
sanctos conceptus sancta contemplacione ut pariant obsequia caritatis?  
O Domina, ecce iam compleri videtur, quod ipse Machometus  
mendacissinus dixit, se missum esse a Deo in virtute armorum,  
ut multos filios generet ut Sarracenorum populus augeretur. Numquid  
deerant et alie mulieres, ex quibus filios genuissent, etsi non dedisset

ei ancillas suas, virgines sanctimoniales sibi dicatas et despontas ab adolescentia sua? Quid negabit Christus, filius tuus, ulterius Machometo, si concedit ei ancillas et sponsas ipsius? Non[Page 273]

enim negare audemus permissione et concessione hec omnia evenisse. Et utinam Sarraceni Deum cognoscerent et ei grati essent, qui eis dedit tantam victoriam! Ipsi vero de hijs omnibus grati sunt Machometo dicentes, quod hec omnia procuret eis pro merito Alcorani, Christo autem, tuo sanctissimo et omnipotentissimo filio, detrahunt et dicunt: «Christiani confidunt in quodam Iesu, filio Marie, quod sit Deus, et ipse contra Machometum nichil prevalet». Dicunt eciam et scribunt nostris principibus et regibus literas insultacionis dicentes, quod istis temporibus fortuna Christi pugnavit cum fortuna Machometi, et fortuna Machometi prevaluit. Sed quid verba referam, cum signa hostilitatis et odii Sarracenorum ad christianos et Christum sint omnibus manifesta! Sed et de multis pauca referam, que tamen ita sunt horribilia, quod alijs extraneis dicere erubescere deberem, nisi quia tuus sapientissimus filius non verecundatur manifeste permettere, ut prius sint extraneis quam familiaribus manifesta.

Certe credo, quod nosti, quod presens eram in Sebaste, civitate Turchie, quando postquam receperunt nova de dolorosa captione Tripolitana, ligaverunt crucem cum ymagine crucifixi ad caudam equi et traxerunt per totam civitatem per cenum, incipientes a loco fratrum et christianorum et hoc in die dominica ad maiorem contumeliam christianorum et Christi. Nonne oculata fide in tota Galilea et Iudea et Ihierusalem, fere in omnibus locis, ubi Sarraceni invenerunt ymaginem tuam et tui sanctissimi filii, eruerunt oculos lanceis et gladiis et fustibus et dimiserunt ita cecatas quasi omnes picturas ad contumeliam christianorum et Christi? Que mater sustinet pacienter execrationem sui filii? Nonne in tota Turchia et Percide et usque ad Baldactum invenimus omnes ecclesias christianorum diruptas aut stabulatas aut mescitas factas Sarracenorum? Et ubi non potuerunt ecclesiam destruere vel stabulare, statim iuxta ecclesiam edificaverunt meschitam et menaram cum turri alta, ut super caput christianorum clament legem ymmo perfidiam Machometi. In Tauricio, civitate Persarum, maximam et pulcrum, quam christiani edificaverunt in honore illius dilecti discipuli et nepotis tui Iohannis, evangeliste, cui fuisti a tuo filio pendente in cruce dulciter commendata, fecerunt scolam alchorani, ut inblasphemarent Christum et evangelistam. Set quid dicam de alijs locis et civitatibus, cum in Ihierusalem civitate sancta invenerim turpiter stabulatam a Sarracenis ecclesiam illam magnam et devotissimam in monte Syon, ubi Dominus cenam ultimam mirificam[Page 274]

cum suis discipulis fecit, ubi panem et vinum convertit in corpus et sanguinem suum? Infra illam eandem ecclesiam ostenderunt humilem cellam tuam, o Domina celi, ubi habitasti diebus vite tue post ascensionem tui filii! Et ecce totus locus desertus gemit absque habitatore; nisi quod Sarraceni dimiserunt edificium valde altum super loco illo, ubi apostoli tui sanctissimi filii receperunt Spiritum Sanctum et in eodem loco faciunt proclamari legem, ymmo perfidiam Machometi die ac nocte, videlicet alchoranum.

In quo alchorano, quantum te et tuum sanctissimum filium blasphemant, tu melius nosti. Nec ego credere potuissem, nisi oculata fide legissem. In quo maxime miror, quomodo mater de filio et omnipotens filius tam de sanctissima matre, quam de altissimo patre tanto tempore tot blasphemias sustinuit pacienter. Nonne legis arabice in pluribus et pluribus locis in alchorano, quod Machometus inducit pro demonstrativo argumento dicens: Impossibile est Deum habere filium, quia non habet uxorem, in quo brevi et fatuo verbo illecebris et obscurus et carnalissimus ille blasphemus nititur tollere a patre filium et a filio patrem et deitatem? De te autem scripsit, quod legi arabice pluribus et pluribus locis in alchorano, quod Maria virgo fuisti illa antiqua Maria, que fuit tempore Moysis, unde expresse dicit, quod pater tuus fuit Amram, et Moyses et Aaron fuerunt fratres tui. De te autem dicit, quod tu considerans filium tuum Iesum dixisti: «utinam pocius essem mortua quam de me talis filius nasceretur!» De tuo autem filio nosti, o Domina, quod ipsi communiter docmatizant et predictant quod Iesus, filius Marie, redibit circa finem seculi et efficietur Sarracenus. Nosti enim, o Domina, quod ego transiens iuxta flumen paradisi Tigris inveni inter Baldactum et Ninivem civitatem, que fuit antiqua Baldac, ubi cum mula honorabiliter sellata et preparata usque nunc expectant filium Haah, qui mortuus est ante sexcentos annos, et omni die veneris representant mulam paratam ad recipiendum ipsum. In cuius temporibus dicunt quod Iesus, filius Marie, apparebit et efficietur Sarracenus.

O Domina, tibi de tuo filio credam et non Sarracenis! Ego usque nunc non potui credere, quod Iesus Christus, filius tuus, efficiatur Sarracenus. Video tamen manifeste, quod ipse multa dedit et [Page 275]

concessit Sarracenis, si forte ista sunt preludia, quod ipse vere efficietur Sarracenus. Nec hec omnia dico tibi, ut velim provocare ad vindictam, cum te salutaverim matrem et reginam misericordie. Vere tamen credo, quod ipse sapientissimus filius tuus multa prospera temporalia non tam concedit placidus ipsis Sarracenis, quam permittit iratus. Nam prospera eorum vertuntur eis in *fel aspidum intrinsecus* (Ioh., XX, 14), quia ex omni victoria et omni temporali prosperitate, quam assequuntur, pocius in suis erroribus confirmantur; credunt enim hec omnia a suo Machometo recepisse pro alchorano. Et ita ex bonis a Deo receptis, inferni mancipia confirmantur, et ita eciam prospera filius tuus eis permittit iratus. Set si filius tuus, o Domina, est iratus Sarracenis, Iudeis et christianis, quibus erit placatus? Nam christiani legem Dei habent et intellectum sine perfectione operis, Iudei vero Dei sine intellectu et opere, Sarraceni vero quedam opera bona videntur habere sine lege Dei penitus et intellectu. Ubi sunt misericordie tue antique, o Domina, ubi exuberans misericordia tui sanctissimi filii? Da, Domina, christianis opera perfectionis, Iudeis opera et intellectum legis, da Sarracenis legem et intellectum! Sciant, inquam, quoniam homines sunt, senciant omnes tuum iuvamen et specialiter christiani; ipsi enim iugiter celebrant tuam commemorationem. Pericula creverunt, et miracula et carismata et temporalia beneficia decreverunt. Olym dicebatur *compelle intrare*, set quare nunc compelluntur exire? Ubi sunt misericordie tue atque sollicitudines tue et tui sanctissimi filii pro genere humano, et maxime pro pauperibus indigentibus? Nonne vides, quod christiani moriuntur fame et siti, et quod fidem negant pro necessitatibus corporalibus et multa alia peccata committuntur? Olym enim filius tuus sollicitus erat pro pauperibus indigentibus dicens: «*Unde ememus panes?*». Olym cogitabat dicens: «*Si dimisero eos ieunios, deficient in via* (Marc., VIII, 3, 4)». Et nunc iam cernis, quod multi fame et necessitate deficiunt in viis et civitatibus. Numquid enim solum fuit sollicitus pro nobis quando erat nobiscum in via? Numquid modo per cardines celi ambulat nec nostra considerat? Set ubi est promissio veritatis dicentis: «*Ecce ego vobiscum sum usque ad consumacionem seculi*» (Matth. XXVIII, 20)? Olym eciam et tu Domina sic fuisti sollicita in nuptiis, ne deficeret vinum dicens: «*Vinum non habent*» (Ioh. II, 3). Nunc vero quoniam non habent penitus, quod manducent, silebis? Quando «*introduxit te rex in cellam vinariam*» (Cant., II, 4), in cameram affluentissimam, silere poteris? Dic ergo illi ut nos adiuvet! Dic etiam nobis «*Comedite, amici, bibite et inebriamini vini*» (Cant., V, 1)!. Nam sicut filius tuus dormit super cervical, si tu etiam dormieris in cella illa vinaria, nisi dicas: [Page 276]

«*Ego dormio et cor meum vigilat*» (Cant., V, 2), ut sis apud eum pro nobis sollicita, sola nobis desperacio restat. Nam et filius tuus adiuvat, «*quod non suscitemus te nec evigilemus donec tu ipsa velis*» (Cant., II, 7). Quare dignissime misericordie tue supplico, quantum possum, quatenus ad nostras miserias vel cito intendere cum effectu, ut finem imponas legi sive perfidie Machometi et potentie Sarracenorum et apud filium tuum impetrare procures, ut tam christianis quam Sarracenis ira et furor Domini in tranquillitatem et misericordiam convertantur. Valde vale decora et pro nobis semper Christum exora!

Data in oriente.

### III.

*Epistola afflante anime de ecclesia militante ad totam ecclesiam triumphantem et celestem curiam contra blasphemiam Alchorani.*

[G]loriose celesti curie et ecclesie triumphanti afflictus et modicus frater predictor, minimus in ecclesia militanti, gemens et dolens in profundis partibus orientis in medio captivorum de summo et eterno eternaliter et summe gaudere et nostrarum miseriarum ex summo gaudio non obliisci. Loqui vobis gloriosis de vestra gloria et gaudio conveniret, sed meum cor miserum et multis miseriis occupatum in medio captivorum collacionem gaudii non admittit, nisi in quantum ad vestrum suspiro gaudium in futuro. Set ecce in presenti tanto dolore afficio, quod ex abundancia cordis eis dolorem exprimo et lacrimis, et suspiria non verecundor transmittere in celesti convivio iubilantibus: «*miseremini mei, miseremini mei!* Saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit

*me»* (Iob. XIX, 21)! Desidero vero de causis mei doloris aliquantum conferre vobiscum. Et si aliquid ex impaciencia dicerem, quod vestram curiam aut meam non deceret professionem, me velud impacientem et dolore ebrium apud summum iudicem excusare velitis, quare «*factus sum in derisum factusque est sermo Domini in derisum et opprobrium tota die»* (Ierem., XX, 7, 8) Nam ego miser et peccator eo tempore missus sum ad predicandum fidem Christi Sarracenis et Tartaris, quia non solum tartari et alie naciones efficiuntur Sarraceni sed eciam christiani. Set si sic continuabunt et ita fecerint, sicut modo fecerunt in duabus annis in Tripoli et in Accon, occidentes, captivantes et ad suam perfidiam tormentis et suppliciis christianos trahentes, brevi tempore non remanebit nec unus quidem christianus in mundo.

«*Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo* [Page 277]

*die et noce imperfectos filie populi mei?»* (Ierem., IX, 1), imperfectos quidem non gladio sed suffocatos a dyabulo, qui fidem Christi negaverunt vel scandalis vel impaciencia affetti vel fame et necessitate gravati! Heu, heu, heu, Domine Deus! Ergone decepisti populum tuum, populum christianum, dicens: «*Pax, pax»* (Luc., XXIV, 36) et, ecce, pervenit gladius usque ad animam! Tu enim, domine Iesus Christe, dixisti discedens a discipulis tuis: «*pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis»* (Ioh., XIV, 27)! Et postquam ascendisti in celum, guerra et persecucio christianorum duravit contra christianos trecentis annis, quibus quasi incessanter occiderunt eos. Set tunc quidem corpus occidebant non animam, quin potius e contrario, quia quanto plures occidebant, tanto magis christiani crescebant. Et ecce bestia Machometus, cuius tirannidem roborasti contra christianos fere septingentis annis, occidit corpore et deficiunt fide. Quid faciam ego miser et afflictus et relictus solus in profundis partibus orientis in medio captivorum, et audio christianos occisos triginta millia in una die et reliquos audio et video pre afflictione spiritus et impaciencia mentis negare fidem Christi et accedere ad perfidiam Machometi. Et iam quidem divine sapiencie ac sue matri literas de causa mee tristicie et admiracionis transmisi, et nendum responcionem alicuius consolacionis recepi. Faciam igitur, quod consuevit facere, qui in via publica intollerabilem iniuriam patitur, qui alta voce clamat: «*Accurre, homo, accurre homo!*» Vocabo igitur vim paciens, vocabo, ut sciam, si est qui michi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertam impaciencie mee querelam.

O magne pater sancte Dominice, o pater et institutor ordinis rpredicatorum, qui zelo fidei et devocationis accensus licet generaliter contra hereticos, tamen spirituali zelo contra Sarracenos barbam nutristi! Tu cogitasti in virtute Dei posse estirpare Machometistas a parte occidentali, voluisti quidem sed non potuisti! Nunc autem, quando introisti ad Deum tuum, quando factus es potentior et nos tantum tuo patrocinio indigemus, silere poteris? Sitis plures, introite ad Deum nostrum, sitis plures et clamate fortiter! Modo enim potes tecum assumere conventum magnum, ymmo conventus plures de ordine tuo, qui de novo a Sarracenis occisi sunt, ut arbitror. Ego namque sollicitus quero ab illis, qui redeunt de capcione Accon et nullum invenio qui dicat michi aliquem fratrem Predicotorum remansisse ad vitam. Set eciam sollicitor circumspiciens inter captivos, si forte aliquos ex meis fratribus predicatoribus invenirem, et nullum invenio. Invenio tamen tunicas et paramenta, libros eciam et breviaria inter Sarracenos. O fratres predicatorum, quo ivistis sine tunicis et [Page 278]

breviariis? Non est enim vestre consuetudinis, ut fratres vestri sine tunicis et breviariis vadant in viam longinquam. Tunc vero a redeuntibus de excidio michi oblata est tunica lancea vel gladio perforata, que eciam modico cruento rosea erat. Et tunc eiulans et plorans dixi: «*tunica fratrum meorum est, tunica ordinis est!*» Redemi eam modico pretio. O beate Dominice, fratres meos quero ego «*missus de valle Ebron, missus de partibus occidentis veni Sichem*» (cf. Genes., XXXVII, 14)!. Veni in terram sicciam et ardoribus solis exustam, veni ad predicandam fidem, et ecce libros moltos et scripta fidei invenio et fratres non invenio; fratres quero; indica michi, ubi pascunt gregem! Et iam post modicum audivi, quia non amplius pascunt gregem, set ipsi pocius in pascuis uberrimis ab egregio Pastore pascuntur; nam omnes michi nunciantur occisi. «*Terra, ne operias sanguinem meum*» (Iob., XVI, 18), ne operias sanguinem fratrum meorum, qui effusus est, introeat in conspectu gemitus compeditorum! O fratres, adiuro vos per Deum vivum, quod cito clamatis ad Deum pro nobis! Cito quidem, antequam vos inebriet eterne glorie iubilatio, antequam profundissime dominetis inter medios clerros, ne sompnus in soporem vertatur et nostrarum miseriuarum obliviscamini, et ne efficiamini negligentes sicut alii fratres

nostri, qui fuerunt occisi in Tripoli et Anthiochia et usque nunc  
distulerunt procurare vindictam. O beate Francisce, cui ab infancia  
mea et usque nunc fui devotus, o verus pupertatis amator, ad te  
clamito et flebiliter ingemisco; tu zelo fidei et devocationis accensus  
odisti soldanum Babilonie, a quo petisti poni cum Sarracenis in igne  
vel eciā solus, ut perfidiam Machometi destrueres. Tunc quidem  
voluisti sed non potuisti. Et nunc, quando factus es ita potens in  
curia celi, silere poteris, quando tantum crescent gemitus omnium  
animarum? Nam fratres tui occiduntur, qui nolunt negare fidem  
et alii multi seculares coguntur verberibus et suppliciis multis negare  
fidem. Sitis simul tu et beatus Dominicus ante summum iudicem pro  
vestro cetu pauperum, sitis simul et tenete nos, et stenus simul!  
Et quis est adversarius meus? Machometus, iste scelerosus, lubricus  
et blasphemus contra Deum et sacram scripturam! Certe miror, quod  
soli vos duo ipsum totaliter iampridem non destruxistis ad nichil.  
O sancta Maria Magdalena, tu singulariter Christo dilecta, tuum patrocinium  
invoco contra Machometum et machometistas Sarracenos.  
Scis enim Domina, quia pulcrum ecclesiam tuam quam in honorem  
tuum edificaverunt christiani in Magdalon stabulatam inveni a  
Sarracenis et quasi vile stabulum animalium brutorum, pulcrum eciam [Page 279]

ecclesiam quam christiani edificaverunt tibi in Bethania, ubi Ihesus  
amor divinus flevit et fratrem tuum Lazarum de monumento vocavit,  
ipsam inquam ecclesiam stercoratam et stabulum animalium brutorum  
inveni. O virgines sancte, Deo devotissime, que de seculo et dyabulo  
simul in sexu fragili triumphastis et corpora vestra templum  
Deo sancte virginitatis et puritatis consecrastis, ad vos eiulans clamito  
pro tyrrannie Machometi celeriter destruenda! Usquequo regnabit  
super nos lubricus et obscenus, ymmo totus carnalis et infectus!  
Usquequo leprosus iste contagiosus inficiet mundum! Adiuro vos  
per virginitatem quam Deo dicastis, ut finem velitis imponere obscene  
legi. Nonne vos monet zelus et amor puritatis et virginitatis? Nonne  
videtis virgines et sanctimoniales, que fuerunt olym sodales vestre,  
quomodo circumducuntur per mundum et impregnantur a Sarracenis  
et ex eis generantur tyranni et satrape Sarraceni, qui contra christianos  
in hostilitate alios Sarracenos excedunt? O sancti patres heremite  
et anachorite, monachi, viri contemplaticii, qui longo tempore  
Deo servisti, ubi sunt celle vestre? Quis modo gubernat cenobia  
vestra, ubi simplicitas et abstinentia vestra? Certe successor Machometi  
soldanus ille Babilonie Aman hostis noster et Christi, homo  
lubricus et fictus, absque contradictione totum Epytum pacifice possidet.  
O sancte Hofri, qualiter inveni cellam tuam desertam et cellas  
aliorum sanctorum, qui post te ibi sanctissimam vitam duxerunt; pre  
timore Sarracenorum vix audent christiani appropinquare! O sancti  
doctores ecclesie, o sancti expositores sacre scripture, ad vos cum  
dolore cordis clamito pro abolenda perfidia alchorani! Vos enim  
multa et valde subtiliter et diserte dixistis de fide catholica, de virtutibus  
et contra via, et ecce iam prevalet dotrina Machometi, perfidia  
alchorani, que fidem vestram funditus evacuare conatur! Et, ut  
de ceteris sileam, secretum trinitatis et misterium incarnationis ita  
totaliter extingue nituntur, ut nullus unquam hereticus magis hostiliter  
et efficaciter impugnaverunt fidem nostram. O sancte Augustine,  
o mens illuminata a Deo, sub cuius manu et potentia est civitas  
Yponensis, ymmo tota Africa! Olym enim tantum doluisti, quando  
civitas Yponensis obsessa fuit ab exercitu barbarorum, et ecce nunc  
non solum obsessa, et ut ita dicam, eciam possessa cum tota Africa,  
ymmo cum magna parte mundi possessa, inquam, a Sarracenis colentibus  
alchoranum, blasphemiam evangeli! O sancte Iheronime,  
quantum dilexisti Efratam, quantum desiderasti Betlehem, ubi natus  
est ille panis angelorum et hominum, ubi libros sanctos transtulisti [Page 280]

cum multo labore! Ecce ostenderunt michi sedem, ubi sedisti, et sepulcrum  
Paule devote tue, palatium, ubi abitasti, et omnia destructa  
et a longo tempore sub dominio Sarracenorum blasphemancium  
Christum. O sancte Gregori, o mens Deo devota, o rimator  
cordium et ordinator morum! In tuis operibus, et maxime in tuis  
*Moralibus*, unquam scripsisti, unquam aliquid contra Machometum,  
plura contra dyabolum et contra imitatores eius, contra antichristum  
et imitatores eius, utilia ubi multa inveni. Sed ecce unus de maximis  
imitatoribus dyaboli, famosus antichristi precursor Machometus se bene  
vindicavit de te! Nam parum post tua tempora surrexit et in suo  
alchorano mores corruptit et virtutes, via inseruit fidem christianam  
molliter extingue, civitates et ecclesias christianorum destruxit et  
nunc fere septingentis annis armis et viribus prevalet. Et postquam  
destruxerunt Accon, librum tuum *Moralium* portaverunt usque prope

Ninivem, civitatem grandem. Ibi enim librum tuum quasi captivum  
sclavum redemi, qui distabat a christianitate ex omni parte plusquam  
quinquaginta dietas camelii. O sancti martyres, o milites Christi legitimi,  
qui gloriosum sanguinem fudistis pro Domino, qui perfectissime  
honorastis Christum in vita vestra et eum imitati estis in morte!  
Ecce quantum prevaluit contra nos Machometus, blasphemus et inimicus  
Christi! Ecce iam dominatur christianis soldanus Babilonie fere  
septingentis annis. Ecce quot torquet et cogit christianos negare fidem  
Christi supplicijs et muneribus! Miracula defecerunt et scandala tantum  
creverunt, et vos siletis! O sancte Mercuri, tu occidisti Iulianum  
illum apostatam quia blasphemaverat Christum, tu illum tua  
victoriosa lancea perforasti! Ecce Machometus, qui multo amplius,  
quam Iulianus incomparabiliter blasphematus Christum, quomodo tantum  
prevalebit? Numquid lancea tua fracta est? Numquid brachium tuum  
debilitatum est? Ubi eras, quando successor Machometi, soldanus Babilonie  
acceptit Accon? Dicitur enim, quod una die plus quam xxx  
millia christianorum occidit. Hoc numquam fecit Iulianus nec aliquis  
tyrannus contra fidem, quod ego sciam, preteriti temporis. O cetus  
apostolorum! O altissimi senatores vite eterne! O principes ecclesiarum  
et belli triumphales duces! Quid nobis accidit doloris et  
tristicie, quia ubique perdimur, ubique succumbimus cum Sarracenis  
non solum in bello corporali, sed etiam in pugna spirituali! Nam  
Sarraceni multos christianos occidunt, et multi alii christiani, qui relicti  
sunt, legem ymmo perfidiam Sarracenorum suscipiunt. Ecclesie  
christianorum destruuntur et meschite Sarracenorum edificantur; libri[Page 281]

sancti evangelii comburuntur et proiciuntur in mare et lex et perfidia  
Sarracenorum exaltari cernitur usque ad nubes. Ubi enim libere  
predicabatur Christus, nunc liberrime predicatorum Machometus. «*Veritas*  
*in terra prosteretur et mendacium, ymmo error et blasphemia, honoratur*».  
(Dan., VII, 12). Et iam quasi nichil reputatur evangelium in omnibus  
partibus orientis in comparacione alchorani. O utinam vel in tanta  
reverencia esset evangelium apud christianos, in quanta est alchoranum  
apud Sarracenos et Tartaros! Ego autem librum missale  
inveni quasi sclavum portatum de spoliis christianorum de Accon in  
Nynive civitate grandi, ubi erant epistole et evangelia. Quem librum  
interdicebant Sarraceni, volebant destruere et cartas eius radere ad faciendum  
cartas pro tympanis et tamburis quibus orientales multum  
utuntur. Vos igitur quomodo dormire potestis? Numquid evangelium  
melius stat inter Sarracenos et Tartaros quam inter christianos? Numquid  
melius sonabit tympanum, quam evangelium? Quid juvere  
libri evangeliorum et epistolarum vestrarum? Set et Christus dixit:  
*Nolite spargere margaritas ante porcos* (Matth., VII, 6), et ipse spargit  
margaritas ante porcos et canes rabidos! Ecce libri christianorum  
disparguntur per mundum quasi captivi et sclavi Sarracenorum et  
tartarorum. Iam quidem fortissimus armatus Dominus noster in  
pace custodivit atrium suum aliquo tempore, nunc autem in fine  
temporum supervenit Machometus, quem Sarraceni dicunt esse fortiorum  
Christo, quod nos non concedimus; videmus tamen quod  
ipse arma eius abstulit et spolia distribuit, prout vult. O patroni  
nostri, non potestis vos iuvare christianos contra Machometum,  
an non vultis? Certe credo, quod potestis et non vultis. Numquid  
et verum est, quod sitis facti Sarraceni? Certissimum reputatur  
quasi in omnibus partibus orientis, quod alchoranum sit verbum  
Dei. Quod si verum est, quod alchoranum sit verbum Dei, procul  
dubio verum est et firmum, quod vos apostoli facti estis Sarraceni  
et imitatores Machometi. Ita enim legi in alchorano capitulo  
tertio, quod quando Ihesus, filius Marie percepit heresim in filiis,  
quesivit dicens: «Quis defendit Deum?» Et responderunt apostoli tamquam  
perfectiores dicentes: «nos defendimus Deum, nos sumus fideles Dei, nos  
*testificamur, quod sumus Sarraceni et quod sumus imitatores Machometi.*»  
Idem etiam legi in capitulo quinto, quod est capitulum elmeide,  
quod interpretatur mensa. Certe si vos fuistis Sarraceni et imitatores[Page 282]

Machometi, non est mirum, si vos non vultis iuvare christianos  
contra Sarracenos et contra Machometum. Set quomodo fuistis vos  
imitatores Machometi, qui tamen processistis Machometum per quingentos  
annos et amplius? Quomodo fuistis Sarraceni, cum Machometus  
dicat in alchorano quod «*ei a Deo mandatum est quod ipse esset*  
*primus Sarracenus*»? Set esto si fuistis Sarraceni, quomodo non scripsistis  
nobis aliquid de Sarracenis aut de Machometo? Nonne melius fuisset,  
quod invenissemus scriptum in evangelio et fuissemus facti  
Sarraceni sponte, si Deo placet, quam quod violenter cogerent nos  
Sarraceni? Et nos christiani clamamus et vociferamus, et non est qui  
adiuvet! Set ecce, proh dolor! quia dicunt Sarraceni, quod nomen

Machometi scriptum est in evangelio et quod Christus prophetavit de ipso. Ita enim legi in alchorano capitulo lxi dicit Iesus, filius Marie:  
«*Ego sum nuncius Dei, o filii Israel, et sum nuncius verax, ego evangelizo vobis quod legatus veniet post me et nomen eius Machometus.*» Ego vere ista non invenio in evangelio, nec in latino, nec in caldeo, nec in arabico, quod quidem diligentissime in oriente perlegi. O sancti evangeliste, quid fecit vobis Machometus, quia nomen suum tacuistis et non posuistis in evangelio? Scripsistis tamen nomen Pilati et nomen Herodis, qui consenserunt crucifixoribus, nomen Cayphe, qui sentenciam dedit, Iudei, qui perdidit, et dyaboli, qui temptavit. Quare igitur solum nomen Machometi tacuistis? Set ecce in multis alijs imponit vobis mendacium Machometus in suo alchorano. Vos igitur omnes scripsistis, quod Christus crucifixus est et mortuus, et ipse dicit nequaquam, set eius similis. Et hec dicentes, Sarraceni prevalent contra nos, et alchoranum prevalere videtur maxime in partibus Orientis contra evangelium modo fere septingentis annis. O sancte Paule, predictor veritatis et doctor gentium, qui fidem roborasti, vicia extirpasti et inseruisti virtutes! Disperse sunt epistole tue inter Sarracenos et eas contemptibiliter dividunt quia dixisti, quod Iesus Christus est Deus et Dei filius. Nam ipsi pro efficaci argumento in alchorano inducunt, quod Deus nullo modo potest habere filium, quia non habet uxorem. Et hec dicentes prevalent contra nos, ymmo dicunt, quod hec est causa, quia Deus affligit nos, quia habet pro malo, quod damus ei filium Tu, sancte Paule, dixisti (1 Cor., VI, 18): «*Fugite fornicacionem!*». Et Machometus in suo alchorano permittit fornicacionem.[Page 283]

Tu, sancte Paule, dixisti (1 Cor., VII, 1): «*Bonum est homini mulierem non tangere*». Et ipse non solum permittit set mandare videtur hominibus, quod fornicentur cum multis mulieribus, ut multi Sarraceni nascantur. Quo verbo, ita infrunite et inverecunde utitur Machometus in suo alchorano, ut omnes manifeste intelligent, quid dicit obscenus et carnalissimus ille. Nam in alchorano, non iam uno loco, set in pluribus legi, quod dicit infrunitum verbum. Ita enim dicit, ut suo verbo utar: «*fatigate mulieres, fatigate, et non erit vobis peccatum dummodo dederitis eis precium*». O sancte Paule, tu es nuncius Dei et consulis esse bonum homini mulierem non tangere, et ecce Machometus, homo illecebris, qui a pluribus quam tu reputatur nuncius Dei, precipit et repetit: fatigate!. Et hec dicens prevalet contra nos fere septingentis annis. Quomodo vos estis ambo nunci Dei, qui tam discrepancia dicitis? Set quid dicam de fornicacione, cum ipse contra te, ymmo contra naturam et Deum concedit expresse id abominabile vicium, quod tu dixisti «*ignominiam et turpitudinem esse vicium contra naturam, quod extirpare curasti in principio tue epistole ad Romanos (I, 27)*. Ipse vero expresse concedit, sicut legi in alchorano in capitulo secundo de vacca rubea, sodomiam tam cum masculo quam cum femina; dicit autem hoc ita manifeste et utitur verbo sic infrunito, quod nunc pro verecondia nec dico nec scribo, set committo angelis sanctis, qui destruxerunt Sodomam et Gomorram, quod illum capitulum fideliter et celeriter legant et Deo scienti omnia sollicite referant. O sancti prophete, quem ex vobis non blasphemavit Machometus in suo alchorano, et vos siletis? Silete, silete certe prophetia silet et loco omnium prophetarum legitur Machometus! Ipse namque dicit in alchorano, se esse sigillum omnium prophetarum! O Moyses, o Deo devotus et familiarissimus, tu scis quod tantum te excedit, quod in die iudicii, quando congregabitur totus mundus, veniet quidem Machometus non pedes ut alii sed certe super mulam, et Moyses addextrabit eum! Et certe convenit; nam ipse scribit in alchorano, quod Moyses et Aron facti fuerunt Sarraceni ante mortem eorum. O sancti patriarche, o patres antiqui[Page 284]

Veteris Testamenti, quare facti fuistis Sarraceni et imitatores Machometi? Certe si alchoranum esset sermo Dei, ut dicunt Sarraceni, et vos procul dubio Sarraceni fuistis! Legi enim in alchorano, quod Abraham, Isaac et Iacob fuerunt Sarraceni, legi eciam ibi, quod Noe fuit Sarracenus, et quod ideo venit diluvium, quia ipse Noe dixit omnibus quod efficerentur Sarraceni et ipsi noluerunt. O Deus, si tu misisti diluvium in totum mundum, quia noluerunt effici Sarraceni, non est mirum, si destruxisti per Sarracenos Iherusalem, Iudeam, Galileam, Siriam, Anthyochiam, Tripolim et Accon! Erant enim christiani et noluerunt effici Sarraceni. Set ego nolo effici Sarracenus. Set quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam (Psalm., CXXXIX, 9), si decrevisti, quod totus mundus sit Sarracenus? Certe ego non possum consentire tam inique legi, nec possum credere, quod sit lex Dei. Dum ergo fugerem de medio Babilonis, ecce in exitu Babilonie in deserto, occurserunt michi servi dyaboli ministri Machometi, habitu

Tartari, sed ritu Sarraceni, qui me verberabant et expoliabant, ut efficerer  
Sarracenus, quorum verbera et verba leviter, ymmo quasi pro  
ludo, sustinuit amor. Et certe si apostoli, prophete et patriarche facti  
sunt Sarraceni, satis et ego possem esse Sarracenus. Set quia nec  
volui nec volo esse, privaverunt me sancto habitu ordinis mei, et  
tunc assumpsi vestem et habitum camelarii; nam camelarium me  
potuerunt facere Sarraceni, non autem Sarracenum. Ad sanctos angelos  
recurrat. O sancti angeli, o celestes nuncii, nobis ad custodiam  
deputati, quomodo custoditis civitates et ecclesias christianorum,  
que sunt in Terra sancta? Date sunt Sarracenis, destructure sunt a Sarracenis,  
virgines et sanctimoniales, que virginitatem Deo voverunt et  
olym spose fuerant Domini nostri facte sunt concubine Sarracenorum!  
O paranimphi celestis curie, non potuistis vos iuvare contra Sarracenos  
aut noluistis? Miror, si non potuistis, cum olym unus ex vobis  
occiderit in castris Assiriorum centum octogintaquinque millia (Iesai.,  
XXXVII, 36). Numquid diminuta est potencia vel auctoritas vestra?  
Sed ecce, proch dolor! invenio in alchorano, quod angeli Dei orant  
pro Machometo. O sancti angeli Dei, vos oratis pro Machometo?  
Parcat vobis Deus, parcat! Vobis a Deo commissum est, quod super  
muros Iherusalem, id est ecclesie, sitis custodes (cf. Iesai., LXII, 6) et  
vos oratis pro Machometo, pro Machometo, inimico christianorum,  
inimico et blasphematore evangelii? Certe unum de duabus videtur [Page 285]

michi: aut vos non estis Deo fideles, aut alchoranum, quod dicit,  
quod vos oratis pro Machometo, non est verbum Dei. Set si non est  
verbum Dei, unde ei tantus honor et tanto tempore modo fere septingentis  
annis? Certe credo, quod nunquam fuit in mundo aliquis  
liber, qui tantum honoraretur, quantum alchoranum, nec credo,  
quod umquam fuerit factus in mundo nec fiet aliquis liber qui tantum  
blasphemaret Deum et celestem curiam, quantum alchoranum. Certe  
ego quidem blasphemias in alchorano invenio, set in omnibus  
factis eorum invenio Sarracenos fortunatissimos in temporalibus, ut  
eciam mala videantur eis cedere in bonum. Nam et si venerunt Tartari,  
ut destruerent Sarracenos, sed ipsi Tartari fere omnes facti sunt  
Sarraceni! Ecce christiani frequenter cogitaverunt contra Sarracenos, et  
quasi omne consilium eorum fuit in malum ipsis christianis. Quis  
enim papa, vel imperator, vel rex cogitavit vel disposuit contra soldanum  
Babilonie, contra successorem Machometi, a magno tempore,  
qui non fuerit vel morte preventus vel consilio et ordinacione deceptus?  
Dum ergo legimus in alchorano, quod vos angeli pro Machometo  
oratis et Sarraceni ab angelis iuvantur, et nos post hec per  
experienciam probamus quod quasi in omnibus prosperantur, quid  
restat simplicibus, ymmo stultis, quorum nostri temporis infinitus est  
numerus, nisi quod illa sola sit vera fides et non alia? O virgo beatissima,  
o virgo Maria, mater Christi, non illa Maria, soror Moysis  
et Aaron, que facta est leprosa, sed tu Maria, virgo filia loachin,  
que nec lepre, nec culpe umquam fuisti obnoxii, tibi nuper alias speciales  
litteras de mea tristitia et dolore transmisi nec adhuc aliquam  
responsionem que me plene letificaret accepi! Tu regina misericordie,  
que reginam illam Hester, incomparabiliter superas et excedis,  
et certe ipsa regina Hester, quanto periculo se exposuit pro populo  
suo, sine licentia intrans ad regem, que etiam triginta diebus vocata  
non fuerat! (Esth., IV, 11; V, 1-2). Tu vero, qui assistis a dextris  
regis eterni in vestito deaurato et iam non per eunuchos altissimo regi  
loqueris, set immediate cum maxima securitate cuncta ei exponere  
vales, silere poteris? Et ego, licet peccator, tamen cum multa fiducia  
de misericordia tua confitus clamo et vociferor pro foribus palacii  
tamquam alter Mardocheus, veste concissa (Esth., IV, 1), barba  
prolixa, ut eciam in habitu fratrum predicatorum me non reputent  
fratrem, et modo in habitu militis, modo in habitu camelarij, modo  
in habitu fratrum predicatorum laboriose discurro partes, ut predicem  
Christum eo tempore Sarracenis et Tartaris, quando non solum Tartari  
sed eciam christiani efficiuntur Sarraceni.  
Quid faciam miser, cum videam christianos iam quasi mente attonitos  
euntes per viam quasi amentes pro dolore ac timore Sarracenorum! [Page 286]

Video senes ac virgines parvulos et innocentes squalidos, palidos et  
debiles, querentes panem, et non inveniunt etiam inter christianos, et iam  
multi desiderant, quod essent sclavi Sarracenorum, ut non morerentur  
fame, sed panem ad manducandum haberent. Video mulierculas et  
vetulas plorantes ad pedes crucifixi, percutientes sicca pectora, voce fracta  
et gracili petentes auxilium et expectantes vere, quod illa ymago sic  
crucifixa debeat eas iuvare. Et lugent inconsolabiliter filios et maritos,  
qui sunt sclavi Sarracenorum vel a Sarracenis occisi. Ad quam recurrent  
miseri nisi ad Matrem misericordie! Maria, mater gratie,

mater misericordie, sic enim christiani comuni vocabulo te appellant, igitur monstra esse matrem, monstra te esse matrem Christi, cui Machometus et Sarraceni tam multiplicitate detrahunt, monstra te esse matrem christianorum, quos Sarraceni tam multiplicitate cruciant et affligunt! Non abhorreas peccatores, sine quibus nunquam fores tanto digna solio! O Iesu Christe, fili Dei vivi, nos christiani a te et a tuis apostolis accepimus, quod tu es verus Deus et verus homo, et propter sanctam fidem servandam milia mortui sunt! Iuvenes et virgines, senes cum iunioribus elegerunt mille mortibus mori quam ad momentum ab ista fede deficere, et ecce insurrexit contra nos bestia crudelissima, bestialis homo et diabolicus Machometus, et tantus honor exhibetur libro suo, et tantam potentiam dedisti populo suo contra fideles tuos et tanto tempore contra christianos! Domine, iste fere septingentesimus annus est, et nos quidem credebamus, quod motus et potentia in fine lentesceret et debilitaretur quasi motus quidam et potentia violenta. Ecce autem, quod in fine usque nunc semper intenditur et fortificatur, et contrario, proh dolor! fides nostra et potentia christianorum debilitari videtur. Certe tu Dei virtus et Dei potentia es, nec est possibile, quod ab homine infirmaris. Mee vero impatientie videtur, quod si tu non vis, quod aliquid de fide in terra remaneat, non habes nisi relaxare habenas Machometo et dare ipsi potentiam contra christianos, sicut iam incepisti facere ab aliquibus annis. Sed oro te, legas, quod de te dicit et de tua matre et de tuis apostolis! Ego autem pre maximo dolore cordis et impatientia, ut nosti, frequenter cum legerem alchoranum arabice, ipsum librum apertum posui super altare tuum coram ymagine tua et tue sanctissime matris, et dixi: «legatis, legatis quid dicit Machometus!» Et videtur michi, quod non vultis legere. Rogo igitur, quod non dedigneris audire pauca que referam, et ut de ceteris sileam, hoc unum tibi retero cum dolore, quod legi. Nam ipse dicit, quod tu excusasti te humiliter ante Deum, quod non eras Deus, nec hoc unquam dixeras, nec sciebas quod Deus cogitaverat, ita enim legi in capitulo quinto [Page 287]

quod est capitulum elmeyde, quod interpretatur mensa: «Deus vocavit Iesum filium Marie et dixit ei: «Dixisti tu mundo quod tu eras Deus?» et respondit Iesus, filius Marie: «Laus tibi, Deus! Tu omnia nosti, tu scis, quod cogito, et ego nescio, quid cogitas. Absit a me ut dicam, quod non est!». Lege, lege, et da potentiam Machometo contra christianos ut vis! O Spiritus Sancte, illustrator omnium, o paraclete, o consolator pauperum, a te est omne verum! *Nemo enim potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto* (1 Cor., XII, 3). Et Deo patet, quantum fuit a te longinquus Machometus, qui tam falsa et tam impia protulit de domino Iesu Christo. Sed minor, quomodo permisisti scribi alchoranum, librum tot mendaciis et blasphemis plenum, sed permisisti ut blasphemaret, blasphemus mendacissimus mentiretur, sed permisisti ut mentiatur ita patenter, quod omnis homo adverteret fictionem sive mendacium. Et certe convincere illum possumus de facili mendacem atque blasphemum et fatuum tam per prophetiam quam per theologiam. Sed tu ita roborasti eum potentia temporali et virtute armorum, quod plus etiam dedisti ei quam ipse etiam mendacissimus in suo scriberet alchorano, at, quod peius est, sua potentia et doctrina pestifera iam incipit confirmari miraculis. Manifeste namque quedam miracula contigerunt in mari et in terra in captione Tripoli et Accon ad dejectionem christianorum et Sarracenorum triumphum. O altissime Pater et domine celi et terre, tibi conqueror de Sarrenis et Machometo! Nosti, Domine, quod Machometus nullo modo vult, quod tu dicaris pater, nec tui sanctissimi filii, qui est in celo, neque tuorum servorum, qui sunt in terra, ymmo dicit, quod si tu haberes filium, quod totus mundus, destrueretur, quia inter vos esset schisma. Nos autem per fidem accepimus, quod *ex te in patre omnis paternitas in celo et in terra nominatur* (Ephes., III, 15). Tibi peccavimus Deo soli, tu vero castigasti nos castigatione crudeli! Si non fuimus filii, ut debuimus, tu semper es pater ut debes; te ipsum negare non potes. Iustificeris in sermonibus tuis, monstra te esse patrem, castiga nos, ut erudiendos filios, non ut perimendos hostes! Tu nos verbera, tu nos occide, ut vis et non ponas gladium in manu furiosi, in manu inimici tui et nostri, Machometi et Sarracenorum, qui nos torquent et occidunt, quia nolumus fidem tuam negare! Scimus enim, quod non *haberent potestatem* [Page 288]

*in nos Sarraceni nisi fuisset eis data desuper* (Ioh., XIX, 11); desinat indignacio tua contra nos!. *Contere brachium peccatoris et maligni* (Psalm., X, 15), sentiant christiani, quia tu Deus et pater es! Sed ecce invenio in alchorano admirabile, ymmo potius desiderabile, sed quod tu Deus oras pro Machometo! Ita enim legi in alchorano in capitulo

trigesimo tertio, quod Deus et angeli eius orant pro Machometo.  
Te, per te, Deus, deprecor, non amplius ores pro eo! Si enim pro  
eis modicum plus oraveris, totum orbem sibi de facili subjugabunt,  
tantum enim iam orasti pro Sarracenis, quod iam non audent christiani  
stare coram eis in bello, neque in terra, neque in mari. Et  
ecce non est mirum, si christiani fugiunt Sarracenos et timent eo  
quod Deus orat pro Machometo et angeli eius. Ymmo mirum est,  
quod non iam deleverunt eos totaliter, maxime si a magno tempore  
incepisti orare pro eis. Sed quero te, Deus, quando tu oras pro Machometo  
et pro Sarracenis, quem rogas? Cum enim multa inveniam  
in alchorano, que usque nunc intelligere nequeo, hoc est unum de  
hiis, que nullo modo intelligere possum, maxime secundum opinionem  
Sarracenorum, qui horrent tam misterium incarnationis, quam secretum  
trinitatis. Set quem rogat Deus, cum orat pro eis? Quem  
igitur rogas? Rogas te ipsum simpliciter, rogas angelos, rogas homines,  
rogas demones? Certe non oportet roges demones; ipsi namque  
satis erunt solliciti pro temporali prosperitate Sarracenorum et de promocione  
alchorani; nam ipsum eciam Alchoranum testatur, quod  
demones diligunt alchoranum et ei credunt et quod multi ex demonibus  
facti sunt Sarraceni. Ita enim legi in capitulo xlvi et etiam  
in capitulo lxxvii. Ex capitulo Elgel quod interpretatur demon:  
quando demones audierunt alchoranum, mirati sunt et dixerunt aliis  
demonibus: «auscultate, audivimus alchoranum, quod dirigit in Deum  
et credimus et testamur eos esse Sarracenos»; et postea addiderunt  
demones aliis demonibus dicentes: «Venite, gens nostra, et recipite  
alchoranum, quia per ipsum possumus redire in Deum, etc.» que ibi.  
Et licet invenerim in alchorano infinita mendacia, hoc tamen ultimum  
credo firmiter esse verum, scilicet, quod alchoranum placet demonibus  
et in eo delectantur, sicut in sententia oris eorum. Magis  
enim credo ipsos esse auctores, quam homines, per quod tot homines  
decipiuntur et tot anime sine cessatione ad eternam damnationem  
deducuntur. Quare te, Deus, precor cum omnibus sanctis  
tuis et tota celesti curia, quatenus nos afflictos et miseros christianos

[Page 289]

sub dominio Sarracenorum constitutos de tanta miseria liberare digneris.  
De Sarracenis autem tibi, quantum possum, supplico pater  
celi et terre, ut ostendas eis, te esse verum Deum et patrem Domini  
nostrri Iesu Christi; multi enim ex eis ex ignorantia potius quam ex  
malitia peccant. Tibi autem honor et gloria cum omnibus sanctis tuis  
in seculorum amen! Data in oriente.

#### IV.

*Incipit epistola ad venerabilem patriarcham Ierosolimitanum et ad fratres  
predicatores qui fuerunt occisi in Accon.*

[V]enerabili in Christo patri fratri Nicolao ordinis fratrum predicatorum,  
patriarche Iherosolimitano, et aliis fratribus qui mortui sunt  
in captione Accon, frater Ricoldus eiusdem ordinis afflictus et miser  
peregrinus in partibus orientis pro fide Christi predicanda se ipsum  
cum lacrimis et merore.  
Quantum fuerit mihi dolor et tristitia cordis in captione Accon  
quilibet vestrum ex semetipso de facili cognoscere potest; experti  
estis similia. Nam usque ad profundas partes orientis, usque Baldacum,  
tunc eram, cum non solum nova sed etiam spolia christianorum  
venerunt. Et cum libri et paramenta venderentur, parvuli  
et mulieres circumducerentur publice per civitatem ad ignominiam  
christianorum et etiam, ut carius venderentur, sanctimoniales et  
virgines Deo dicate mitterentur ensenia regibus et baronibus Sarracenis,  
ego dolens et tristis querebam sollicite, si aliquos ex fratribus  
meis viderem, ut si possem aliquem ex eis redimere vel eis aliqua  
ministrare, et mirabar quam plurimum, quia inveniebam paramenta,  
tunicas, libros et breviaria et non inveniebam fratres. Sciebam enim  
nostrri moris non esse, quod fratres vadant absque tunicis et breviariis.  
Et postea obtulerunt michi foccarii Sarracenorum, qui revertebantur de  
captione Accon, tunicam valde pulcrum gladio vel lancea perforatam,  
que etiam modico sanguine rosea erat, nescio cuius vestrum fuit hec  
tunica, et redemi eam. Et postea dixerunt michi, quod nullus frater  
predicator ad vitam remanserat. Intellexi enim, quod vos occiderunt  
*Sarraceni, ne essetis aliis captiuis ad fidei firmamentum. Gaudete*  
igitur fratres in Domino, *iterum dico, gaudete (Philipp., IV, 4)!* Gaudete,  
quia pro fide occisi estis! Et eo quidem poteratis fugere, poteratis de  
civitate exire, quia iuxta mare erat noster conventus. Sed voluistis

[Page 290]

in civitate remanere, ut essetis aliis ad fidei firmamentum. Numquid igitur, ordine converso, malitia vincit sapientiam? Certe, sapientia vincit maliciam; et sicut firmiter spero, velint, nolint Sarraceni et Machometus, eritis nobis ad fidei firmamentum. Vere namque vos reputo sanctos et martyres Dei, fuistis enim omnes missi a nostris maioribus in Accon, cum merito obedientie occisi estis pro bono obedientie, remansistis quidem, ut essetis aliis ad fidei firmamentum. Omnibus etiam constat, scientibus consuetudinem Sarracenorum, quod Sarraceni valde libenter pepercissent vobis mortem et dedissent donaria, si voluissetis negare fidem Christi et effici Sarraceni. Omnipotens igitur vos martyres Dei reputo et pro fide mortuos, etiam si tunc non potuissetis fugere. An forte minor Christi pietas quam soldani impietas, ut ille quidem potuerit innoxios nec dare, Christus non potuerit propter se mortuos merito coronare? Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, que data est vobis, et non miror, si breviaria et libros et tunicas dimisistis. Non enim amplius indigetis, quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis; potius enim indigebatis dimettere tunicam mortalitatis. Non enim fas est hominem indutum sacco entrare aulam regis eterni. Gaudete igitur fratres, quia presentis vite pericula evasistis! Sed magis gaudete, quia ad Deum vestrum cum palma martirii introistis! Gaude et tu, patriarcha Iherosolimitane, frater Nicolae ordinis predicatorum, et pro Iherusalem destructa et desolata, quam tu tantum desiderabas videre et edificare Christo, bene potest tibi sufficere Iherusalem que construitur in celis vivis ex lapidibus, ut ibi regnes cum Christo! Et ego miser, quando primo audivi, te submersum fuisse in mare, ut stolidus et impatiens valde tristatus fui. Nunc autem magis gaudeo, non quia submersus fuisti, sed quia procul dubio multo populo liberando et conservando in fide Christi submersus fuisti tamquam dux, qui non sibi, sed populo suo timet, felix patriarcha, qui tantum cogitabat liberare multum populum, quod moritur ipse, felix pontifex, qui se ipsum pontem facit, ut populus liberetur et transeat! In te igitur, pater et frater Nicolaus, quasi alterum Ionam recognoscit (Jon. I, 12) qui sponte in mare proicitur, ut ceteri liberentur. Et tu quidem, frater sic voluisti, sic ostendisti, sed nunquam mare insanum talem hominem debuit absorbere; fere desidero, quod unda insana pereat, que rapuit tam sapientem hominem, amarissimum mare amaritudine repleatur, quod absorbuit virum tam dulcis et sancte conversationis! Pisces etiam morientur sane qui talem patrem pauperibus [Page 291]

non portaverunt ad littus! Sed certe, dum melius recognoscit, tu non es melior nec dignior sancto Clemente quem et permisit in mare proici et mandavit etiam suis discipulis, quod aliquibus temporibus dimitteretur ibi. Sit igitur corpus tuum in mari Acconensi, quo usque Deo placuerit, sit tamen alter Clemens corpus clementis et pii hominis! Sit et nobis quasi anchora et spes recuperandi loci. Sic igitur tristitia nostra nobis in gaudium vertitur, dum inveniemus illud esse nobis materiam gaudii et honoris, quod timebamus esse causam tristitiae et meroris. Gaude igitur, pater pauperum, frater Nicolae, patriarcha Iherosolimitane! Gaudete, fratres, qui cum eo ivistis! Gaude et tu, magne pater sancte Dominice! Gaudeat et ordo fratrum predicatorum, qui ex merito obedientie tale ensenium mittit ad celum, unum talem patriarcham cum triginta fratribus simul et semel. Vere credo quod fratres nostri letati sunt vehementer in celo, quando tot et tales hospites suscepserunt, ymmo non *estis hopites et advene* (Levit. XXV, 23) sed *estis cives sanctorum et domestici Dei* etc! (*Ephes.*, II, 19) Felix illa processio a qua nec fratres minores fuerunt exclusi! Audivi enim, quod circa horam mortis aliqui, nescio qui, ex karissimis nostris fratribus minoribus in domo nostra se recluserunt vobiscum et etiam vobiscum pariter sunt occisi. Gaudete fratres in Domino semper! Ego tamen tristis et merens incedo quia inter tristes et miseros remansi miser et, dum de eterno gaudio volo aliquid cogitare, statim resorbeor tristitia solita, et subito commuto cor et verba, et dolore torqueor. Heu michi, quia natus sum videre contritionem populi mei! Heu michi, quia video tantam dejectionem fidei christiane! Ubi est Tripolis, ubi est Accon, ubi sunt ecclesie christianorum, que ibi erant, ubi reliquie sanctorum, ubi religiosi et religiose, que Dominum laudabant quasi astra matutina! Ubi est multitudo populi christiani, qui ibi erant! Certe religiosi et bellicosi occisi sunt, pueri reservati, ut efficiantur Sarraceni et femine matrone sanctimoniales et virginis date sunt Sarracenis concubine et slave, ut ex eis Sarracenorum populus augeatur. Vos autem de vobis dicite michi fratres, qua hora fuistis occisi, et quid dixistis, quando venerunt super vos inimici fidei christiane! Audivi enim, quod feria sexta, hora

tertia, occisi fuistis. Audivi enim, quod de mane celebrastis et communicastis omnes, et convenit ad vos magna multitudo virorum et mulierum ac parvulorum. Audivi a religiosa domina et fide digna, que capta fuit a Sarracenis et presens erat, quando fuistis occisi, quod quando intraverunt ad vos Sarraceni, vos altis vocibus canebatis: *Veni creator Spiritus.* Et certe digne. Si enim digne cantatur: *Veni, creator Spiritus,* quando unus recipitur ad ordinem predicatorum valde[Page 292]

conveniens erat quod cantaretur, quando tot fratres predicatores recipiebantur ad ordines angelorum! Dum igitur sic cantaretis, occiderunt vos, et postea non sunt auditæ nova de vobis. Dicite michi, fratres, de quo cantatis missas, puto, quia de Domina nostra vel de cruce. Salve sancta parens, salve mater ecclesia, que tot et tales filios peperisti cum tanto gemito et tanto dolore! Tristitia vestra versa est in gaudium (cf. Jer., XXXI, 13).

Nos autem, qui relinquimur, qui residui sumus, pressuram et tristitiam sustinemus. Nos autem gloriari oportet; cantabant cum fiducia fratres mei. Certe vos gloriari oportet in cruce. Ego vero usque ad horam istam me torquere et tributari vehemens sentio ad pedes crucis. Vos cantatis: *Gloria in excelsis Deo!* Sed ego rispondere possum, quod in terra non est pax sed tribulatio multa etiam hominibus bone voluntatis.

Sed procedatis in missa vestra, ut placet et vos firmare oportet, quia iam intraverunt Sarraceni civitatem et occidebant christianos, cum cantabatis missam. Et postquam complevistis missam, venerunt ad vos Sarraceni, qui iam cruenti erant de cruento occisorum et vos refertos et inebriatos invenerunt sanctissimo sanguine vivificatoris, quem qui digne biberit etc.; si mortuus fuerit, vivet. *Ite missa est, ite in pacem!* Ego vero merore remaneo, et sanguis vester remanebit effusus et corpora inhumata. Terra ne operias sanguinem fratrum meorum, qui effusus est, neque inveniat in te locum latendi! Clamor vicit, et ego satis clamo et vociferor, et non est qui respondeat (cf. Iob., XIX, 7). *Peto et non accipio, et tamen non videtur michi, quia male petam nisi pro tanto solum, quia non accipio* (cf. Jacob., IV, 3).

*Numquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari?*

Et ego quando recordatus fuero, pertinesco, et concutit carnem meam tremor (Iob., XXI, 4, 7). O fratres, nonne videtur Deus manifeste suscitare antiqua miracula et manifestat pro Sarracenis et contra christianos? Ex quibus miraculis sequitur, quod christiani occiduntur, captivantur, torquentur et fidem negant. Nonne enim civitas Acconensis posset a christianis, qui ibi erant, optime custodiri, ut christiani nullo modo possent credere, quod Deus permitteret, quod civitas caperetur? Iecit quidam Sarracenus inimicam sigittam et percussit magistrum Templi inter stomachum et pulmonem quasi alterum Achab regem Israel (1 Reg., XXII, 34, 35), et mortuus est eodem sero vesperi, per quem civitas poterat tueri et statim sequenti mane capta est civitas subiter absque ulla contradictione. Et versi sunt christiani in tantum stuporem, ymmo in tantam formidinem et terrorem, ut ita gratis et sine causa muros et maxime fortilicia civitatis[Page 293]

dimitterent Sarracenis, quasi exercitus angelicus exisset contra christianos. Numquid illa hora forte Deus et angeli eius oraverunt pro Machometo, sicut scriptum est in alchorano? Certe non oportet, quod amplius orent pro eo, quia si solum sic dimiserint nos Deus et angeli eius et Sarraceni sic continuaverint, sicut modo fecerunt in duabus annis in Tripoli et in Accon, timeo, quod in paucis annis non invenietur in toto mundo aliquis christianus. Et ego pro succursu iam pridem scripsi litteras divine Sapientie et sue sanctissimæ matri et toti curie celesti et expectavi, ut venirent bona, et ecce videtur michi quod semper multiplicentur mala. Et non solum non miserunt adiutorium, sed etiam non recepi responsum et factum est michi verbum Domini: «*Manda, remanda, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi*» (Iesai., XXVIII, 13). Et modicum protenditur in longum, et interim Sarraceni occidunt, spoliant et captivant christianos, et cogunt eos negare fidem Christi et predicare perfidiam Machometi, et etiam interim Sarraceni christianas mulieres impregnant et maxime que fuerunt sanctimoniales et religiose, ex quibus, experientia teste, generant bellicos homines potentes a seculo viri famosi. Ex quibus faciunt duces et soldanos, quos quidem inveniunt valde sollicitos et fideles ad internectionem populi christiani. Quare vestram fraternitatem deprecor, quantum possum, quatenus sitis cum sanctissimo patre beato Dominico et frequenter compareatis coram matre Dei, matre pietatis et misericordie, et ostendatis vestra vulnera et capita incisa et corpora cruentata, sicut vos paraverunt Sarraceni feria illa sexta post missam et illos, qui se vobiscum recollegerunt, et ordinatis, quod ipse beatus dominicus, qui

est valde acceptus Domine nostre ut minister intelligens, porrigat ei petitionem pro salute populi christiani, et maxime pro succursu Terre Sancte et illam, que super omnes est, inducat, quantum potest, quod ipsam pro nobis petitionem porrigat altissimo regi vel ad minus inducat, quod ipsa solam causam nostram suscipiat, non obstante si christiani fecerint ei vel suo filio iniuriam aliquam. Si hoc solum potest facere beatus Dominicus, dicatis ei, quod secure dimittat totum negotium super eam. Rogo vos fratres propter Deum et vestras sanguinolentas tunicas, quod non differatis tantum nos iuvare, quod sompnus vestre contemplacionis transeat et postea obliscamini totum et nichil fiat. Nec sitis negligentes, sicut fuerint alii fratres nostri, qui fuerunt occisi in Antiochia, qui fuerunt quidem occisi et nichil de eis magnificum vidimus. Credebamus enim, quod [Page 294]

sanguis eorum, sanctus et crudeliter a Sarracenis effusus ita efficaciter clamaret ad Deum, ut Sarraci cito de tota provincia delerentur. Nos semper tamen de malo in peius et de peior usque ad hec tempora in pessimum procedentes tota Terra Sancta et tota Syria ignominiose et vituperabiliter privati sumus. Vos autem fratres nolite desistere, donec nostrum negotium Dei gratia et vestro studio ad finem certum perducatur! Quidquid autem inde feceritis, michi per vestras litteras vel certum nuncium, quanto citius significare velitis. Hoc etiam rogo, quod michi secreto significetis, si Domina nostra leta facie recepit petitionem nostram; credo enim, eam graviter fuisse offensam istis temporibus a multis christianis peccatis. Sed quia regina est misericordie, facile placabilis est; et quia mater est, pia est etiam filiis malis. Ut autem de intimo cordis mei vobis referam aliquid in secreto, quod tamen teneatur vobis, tam multum miror, quod nondum facta est placatio. Etsi nullus cogisset eam, nisi ego peccator cum tanta fiducia rogavi eam. Verumtamen, ut dixi hoc ultimum teneatur vobis, et nolite dicere sibi. Timeo enim vehementer ipsam, ne aut pro pusillanimitate mee fidei aut pro nimia confidentia michi peccatori similiter indinetur. Gaudete in Domino semper et dum gaudetis recordamini de tribulationibus miserorum! Data in oriente.

V.

*Divina responsio ad omnia predicta per doctrinam beati Gregorii pape.*

Et factum est post hec omnia, quod die tertia cum essem nimis anxius de expectatione responsonis et mirarer plurimum, quia non respondebant michi neque per nuncium, neque per scripturam, neque per sompnum apertum, quod ego intelligerem, mala semper michi videbantur crescere, cepi admirari amplius solito et timere pro impatientia, cepi aliquantulum pusillanimis esse ad scribendum eis epistolam, maxime cum nescirem, quibus aliis scriberem vel que alia ac dixi, ne forte sim ab eis taliter elongatus per meam impatientiam aut per aliam causam, quod non inveniatur nuncius, qui velit portare vel representare literas tante impatientie in curia regis eterni. Set certe nullo modo despero, nullo modo credo posse pati repulsam in illa curia, ubi parati sunt michi tot presidia, ubi filius ante patrem, ubi mater ante filium. Machometus autem, contra quem Dei et celestis curie patrocinium postulo, patri et filio et matri et toti celesti curie michi manifeste videtur esse contrarius. Et ideo non deicio, sed firmiter credo, quod responsonem practicam mihi mittent et non theoricam solum. Et hanc, scilicet practicam responsonem facti non [Page 295]

verbi, petii. Nichilominus tamen me multum letificasset bone promissionis amica responso, et maxime cum desiderarem audire, ex qua causa percusserit nos Dominus plaga inimici tam crudeli castigatione, et ad quem finem perducet ipsa dura oppressio, et qua ratione percusserit nos Dominus per Sarracenos, per homines habentes tam perfidam fidem, qui totam curiam celestem tam manifeste blasphemavit.

Et cum non responderent michi per alium certum nuncium, cogitavi de Dei bonitate confisus, de libris sanctis a Deo michi responsonem mee admirationis expetere.

Et quum esset coram me clausus *Liber moralium* beati Gregorii, a Deo petii responsonem ex doctrina beati Gregorii, cui etiam singulariter inscriperam in mea comploratione. Orans igitur dixi: «O sancte Gregori, postquam non vultis michi per certum nuncium respondere aut per novas literas, rogo te, ostende vel per antiquam doctrinam tuam, quare Deus michi non respondeat, maxime cum sim in tanta amaritudine anxius etiam divine responsonis». Et tunc audivi vocem quasi in corde meo quam ego [...] dicens:

«Tolle, lege, tolle, lege!» Et cum librum subito aperirem, apposizione  
digi et oculorum aspectui «pparuit michi una facies eloquiorum  
castorum, in qua toti sic mee questioni respondit Dominus per  
servum suum Gregorium, ut non oporteat questionem nostram apud  
alium iudicem ventilari. Occurrit enim illud in (lob., XIX, 13-14)

Adversus eum contendis quod non ad omnia verba responderit tibi? Semel loquitur Deus, et secundo ad ipsum non repetit.

Quod exponens Gregorius,

a quo michi responderi petiveram, dicit: *Afflicti cordis est proprium*  
ut in omne, quod appetit, et tamen non rerum ordinem contrarium  
sensit, si possit fieri, cur ita vel non sit ita, Dominus sibi vocibus  
responderi velit. - Heliu autem, previdens quod scripturam sacram Dominus  
conderet, ut in ea vel publice vel occulte cunctorum questionibus responderet,  
ayt: ADVERSUS EUM CONTENDIS etc. Et post: SEMEL LOQUITUR

DEUS etc. ac si aperte diceret (Deus): *singulorum cordibus privatis vocibus*

non respondit, sed tale eloquium construit, per quod cunctorum  
questionibus satisfecit. In scripturis quippe causas nostras, si requirimus  
invenimus. - Ibi enim nobis omnibus in eo, quod specialiter patimur,  
*comuniter respondet, ibi vita precedentium sit forma sequencium* etc. Et  
post pauca repetit beatus Gregorius dicens: SEMEL LOQUITUR DEUS  
ET SECUNDO AD IPSUM NON REPETIT, *quia in hiis que per Scripturam*  
*Sacram ad patres nostros protulit nos erudire procuravit. Discant itaque*[Page 296]

*sancti doctores ecclesie, dicant etiam arrogantes, cum in terra ecclesiam*  
laborare quosdam pusillanimos conspiquent, quia Deus nobis ad omnia  
verba non respondet, id est cogitationibns vel temptationibus singulorum  
iam non passim per prophetarum voces, nec per angelica officia satisfacit,  
quia Scriptura Sacra, quidquid potest singulis evenire, comprehendit atque  
*in illa per exempla precedentium etiam vitam sequentium informare curavit.*  
Hec Gregorius. Gratias tibi ago, Domine, quia ita questioni mee satisfecisti  
per servum tuum Gregorium quod nichil amplius in questione  
remaneat! Verum tamen per hec non satisfactum est petulantie  
querentis. Cum enim inveniam in Sacra Scriptura, quod castigaveris  
aliquos ut amicos, ut timeant vel caveant, aliquos vero percusseris ut  
inimicos castigatione crudeli, ut ex nunc dampnare et reprobare incipias,  
et iterum aliquos longo tempore astringi permiseris, aliquos  
vero quamtocius liberaveris, adhuc in eadem dubitatione remaneo et  
etiam in maiori timore quam prius, ne forte christianos orientales  
afflixeris istis temporibus, ut inimicos vel etiam ut amicos affligendos  
diutius. Quapropter de tua plene benignitate confusus quero, peto,  
pulso ut hostia michi divine misericordie patefiat et ecclesia, que  
in partibus orientalibus tanto patet contemptui apud infideles et sub  
persecutione Sarracenorum gravissime afflita lacrimabiliter ingemiscit,  
divino citius auxilio roborata plenius consoletur. Pro responsione denique  
theorica gratias ago, practicam vero nichilominus affectuose atque  
indesinenter expecto. Scripta in oriente. Explicit. Deo gratias.

---

[Home](#)

Ricoldus de Monte Crucis . Date: 2015-02-06

---